DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS

DIVINUM HIPPOCRATIS IN MORBIS EPIDEMICIS MALIGNIS.

QUAM

RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
JO. CAROLO LUDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI, DUCE BAVARIÆ,
COMITE VELDENTIÆ ET SPONHEMII rel. rel.

PERMITTENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA,

PRÆSIDE

PRO-RECTORE MAGNIFICO,
VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
CHRISTIANO LUDOVICO MOEGLING,
MEDICINÆ DOCTORE, EJUSDEMQUE PROF. PUBL. ORD.

PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES LEGITIME OBTINENDI
Die Nov. MDCCLVIII.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR & RESPONDENS
CHRISTOPHORUS GODOFREDUS PICHLER,
Brackenheimensis.

TUBINGÆ, TYPIS BAUHOF-ET FRANCKIANIS.



Σ. Θ.

§. I.



Anta est homini aëris necessitas, ut, postquam ab aquis uteri emerserit, & semel tantum aërem hauserit, illius usu postea toto vitæ tempore carere nequeat; tantæ enim est necessitatis inspirationis & exspirationis reciprocatio, ut sine alimento ad aliquot dies vita protrahi possit, sine aëre vero non nisi ad pauca momenta vita subsistat.

§. II.

Quam summe vero necessarius ad vitam conservandam aër sit, tamen plurimas corpori affert ægritudines, quin interdum subitaneam mortem; Causæ horum effectuum quidem satis sunt explicatæ, quoniam vero effectuum horum caussas veteres physice explicare non potuerunt, & aliquid

divini aëri inesse ipsis visum fuit, operæ pretium esse duxi, paucis ostendere, quid sibi velit τὸ θεῖον Hippocratis. Etenim caussas diversas aëris effectuum: e. g. morborum malignorum epidemicorum, endemiorum non tam distincte, & profundiorem ☿rii situm in barometro tempore nebuloso, pluvioso, veteres vix sciverunt; nota autem ipsis fuerunt aëris gravitas, effluvia, aliæque multæ aëris qualitates, ut adeo tantum ipsis occultas, nunc vero detectas, qualitates τὸ θεῖον nominaverint. Nec inepte effluvia illa venenosa in aëre volitantia τὸ θεῖον vocarunt, siquidem insignem interdum stragem hominum æque ac animalium excitant. Lubuit ergo hancce materiam pro Themate inaugurali seligere, hocce τὸ θεῖον pro viribus ulterius explicare.

§. III.

Constat, aërem, fluidum illud invisibile, grave & elasticum esse, totumque nostrum terraqueum globum ambire; constat quoque, ipsi semper particulas varias heterogeneas immixtas esse, aqua enim aliaque liquida portionem sui continuè in aërem exhalant, & observamus in nobismet ipsis ac aliis animalibus, quod continuè vaporem quendam transpiremus; sensus docent, vegetabilia quoque omnia portionem sui in auras emittere, quod olfactus in vegetabilibus odoriferis satis abunde testatur. Notum est, quantum ex corporibus putrescentibus, aquis stagnantibus & putrescentibus, variis sordibus, hominum excrementis, cruore animalium, cadaveribus variis, aut plane non aut negligenter sepultis, in aërem dissipetur, imo quod putrefactio Corpora vegetabilium & animalium penitus fere dissolvat & per aërem dispergat;

dispergat; Fodinæ pariter Mineralium diverſæ qualitatis particulas in aërem exhalant; imo nullum fere corpus nominari poteſt, cujus non portio in auram rapiatur; adeoque ſtupenda effluviorum quantitas omni tempore omnique momento in aëre hoſpitatur, & ſic replent effluvia aërem ſ. athmoſphæram tanquam receptaculum effluviorum omnis generis è terramarique nec non innumeris diverſiſſimis animalibus exhalantium.

§. IV.

Progredior ergo ad aëris effectus & uſus pro vita & ſanitate humana, nec non quomodo ejusdem variæ qualitates morborum mortisque Cauſa ſæpius exiſtant; Vitam & ſanitatem degimus in aëre nos circum circa ambiente, reſiſtentia ergo aëris externi elateri cordis & vaſorum ac interni aëris reſpondeat, quo minus vi ſua elaſtica nimis agat in fluida & ſolida, neceſſe eſt ad vitam & ſanitatem commode degendam, & vigente hoc æquilibrio corpora animata gaudent ſanitate integra, ſublata autem reciproca hac actione & reactione mox oriuntur incommoda ſatis notabilia.

§. V.

Cæterum evictum eſt, aërem moderate calidum & ſiccum, ſerenum, gravem, hominibus ſanis omnium eſſe ſaluberrimum; teſtatur enim infringibilis experientia, homines ratione animi & corporis longe agiliores, vivaciores & ad motus & laborem alacriores eſſe ſub aëre temperato, puro, ſicco, qualis eſt vernalis & ventis ex oriente flantibus, quam ſub



aëre turbido, humido, vappido, ſub flatu ventorum Auſtri & Zephyri, & qualis maximè autumnali tempore regnat.

§. VI.

Quam utile vero ad vitales motus, ſyſtolen nempe & diaſtolen ſolidorum & circulum ſanguinis atque humorum moderandum, atque in debita proportione & qualitate conſervandum aëris fluidum temperatum & elaſtica vi præditum, eſt, tam infenſum quoque eſt illud ipſum vitæ & ſanitati, invertendo motus ordinatos, humiditate, calore aut frigore excedente, vel etiam levi & rarefacto nimis, vel nimis compreſſo & gravi, vel nimis exhalationibus & vaporibus pravæ indolis repleto, tum vim ſuam amittit, ut ad vitam & reſpirationem tuendam plane fiat inutile, uti patebit ex §. §. ſeqq.

§. VII.

Hic ergo aër, corpora noſtra circum ambiens & cujus pabulo fruimur, ſi juſto fuerit levior, & internus ſui juris factus, ſe expandit, & anxietates præcordiorum ac Lypothymias inducit, imo ſanguis ibi, ubi minus eſt reſiſtentiæ, erumpit, idem aër juſto levior, dum vaſa pulmonum ſanguifera non ſatis premit, hæc humorum impulſui cedere facit, dilatat, ſanguinem in pulmonibus accumulat, ſicque aut vaſa rumpit, aut ſuffocationem inducit; Saltem ægros reconvaleſcentes, ſub ☿rii demiſſiori ſitu, nec vires nec appetentiam, nec ſomnum quietum & digerendi vim, recuperare poſſe, & vires ingenii & corporis in ſanis vacillare, fibraſque eſſe relaxatas, vaſa tumida, obſervamus.

§. VIII.

Quanto majus vero damnum aër juſto levior corpori noſtro affert, tanto minus aër ſolito gravior primo intuitu nocere videtur; Sed etiamſi pondus ejus ad ſuperficiem corporis externam non facile obſit, tamen in negotio reſpirationis inſignem exſerit efficaciam; obſervatur enim, aërem nimis gravem comprimere canales omnes & humores totius corporis, maxime autem in pulmonibus, motui humorum & ſanguinis per illa vaſa nimium reſiſtit, unde magnum cordi negotium faceſſit.

§. IX.

Quatenus vero aër omnis generis effluviis ſcatet, in diverſis locis diverſimode eadem effluvia nunc huic, nunc illi corpori applicat, hocque corpora plus minusve mutat. Sic aër frigidus nervis quam maxime eſt inimicus, tendineas & nerveas fibras contrahit, cutim ſtringit, adeoque & poros exhalantes cutaneas & tenuiſſima vaſcula contrahit, & omnia oſcula in juſto plus anguſtiorem diametrum cogit, perſpirationem inſenſibilem aut valde imminuit, quæ tamen, teſt. Sanctor. Medic. Static. de Pond. aphorism. LXVII. longe plenior eſſe deberet, quam omnes ſenſibiles ſimul unitæ, aut plane impedit, & reliquam circulationem & excretionem humorum retardat, hinc ſordes eâ eliminandæ retinentur, & à peripheria ad centrum repelluntur, ſicque humores inſpiſſantur, (a) unde fieri haud aliter poteſt, quam ut augmentum Cacochymiæ, gravitas membrorum, torpor ad actiones, & collectiones

(a) Junck, Conſpect. Med. Theoret, Pract. Tab. III, p. mihi, 15.

 

lectiones ſeroſarum impuritatum. v. gr. Coryzæ (b), Tuſſes humidæ (c), Rheumatismi & Raucedines oriantur; Ex conſtrictione porro liber humorum circulus turbatur & congeſtiones, ſtaſes & inflammationes, variaque incommoda in exterioribus æque ac interioribus totius Corporis partibus oriuntur; partium enim harum tenſio naturalis ad ſpasmum usque augetur, quo talium humorum poſtmodum facile fiunt translationes ad certas partes & viſcera, ex quibus modo obſtructiones, modo inflammationes, modo dolores excitantur; hinc obſervamus in Capite vertigines, Epilepſias, Cephalalgiam, auditus difficultatem, in pectore aſthmata (d), palpitationem cordis (e) tuſſes; in abdomine colicas, (f), diarrhæas (g), cardialgias (h), malum hypochondriacum, hyſtericum, dolores & ſpasmos ex calculo; in extremitatibus dolores arthriticos. Si autem intenſe frigidus fuerit, ſanguinis in partibus exterioribus ſtaſin, & hanc excipientem gangrænam & ſphacelum producit; ſed ubi Corpus violenter movetur, fibræ & vaſa frigore roborata potentiſſime in fluida agunt, illa attenuant, ut per ſudorem exeant, unde voracitas, debilitas, animi deliquia, mors ſubitanea.

§. X.

Aër calidus rarefacit, & ſuperficiem corporis & ſanguinem contentum expandit, orgasmum & hæmorrhagias excitat

(b) Junck. Conſpect. Medicinæ Theoret. Pract. Tab. XXVII. p. mihi. 233.

(c) loc. citato: Tab. XXX. p. 258.

(d) dito: Tab. XXXI. p. 270.

(e) dito: Tab. XXXII. p. 278.

(f) dito: Tab. CVI. p. 828.

(g) dito: Tab. CXII. p. 866. (h) dito Tab. CIV p. 815.

citat, (a) perſpirationem in ſudores largos auget, dein aquoſa, ⁓uoſa, ſalina, volatilia diſſipat, adeoque imminuit, ſiccitatem corpori inducit, reliquos humores acriores reddit, hinc immeabilitatem humorum & debilitationem partium ſolidarum, ſomnum, coctionem impeditam, obſtructiones, dolores, inflammationes facit, porrò putrefactionem, alvum adſtrictam, ſitim, ſtranguriam, ⊡m rubram (b), morbos acutos, malignos epidemicos, teſt. El. Camer. in Syſtem. Cautel. Med. Cap. V. de morbis malignis pag. 239. dicente, "aërem æſtuantem nimium ac diu præſagire morbos malignos epidemicos, ipſam peſtem, imo & eos producere, quoniam ſimul ſcateat ſalibus cauſticis inſectorum.

§. XI.

Sequitur nunc aër humidus; hic fibras & vaſa emollit in toto habitu cutaneo, unde ſanguis & humores in itinere ſuo per corpus has alluentes partes & remotius à vi cordis poſiti tardius procedunt, deſtituti impulſu, quem ipſis harum partium debita tenſio & firmitas impertiri debuiſſet, vaſa exhalantia comprimit & perſpirationem imminuit, teſt. Sanctor. tardius hinc ad cor regrediuntur, unde ſanguinis & humorum circulatio langueſcit, corpusque torpidum redditur. Unde ophthalmiæ (c), diarrhœæ ſeroſæ & febres catarrhales æque ac intermittentes, malignæ epidemiæ. teſt. El. Camer. (d) Hi aëris effectus humidi eminenter in pulmonibus fiunt,

B adeoque

(a) Junck. Conſpect. Med. Theoret. Pract. Tab. V. pag. 26. nec non Tab. VI. pag. 36.

(b) Bœrhav. Inſtitut. Med. §. 746.

(c) Junck. loc. cit. Tab. XXIV. p. 206. (d) loc. cit.



adeoque ratio patet, cur, pulmonum perſpiratione cohibita, cujus tamen quinta pars per eos exire deberet, ſeroque perſpirando in illis accumulato, tuſſes, aſthmata (a) peripnevmoniæ ſeroſæ humidæ oriantur. Aer ſiccus fere eadem facir ac æſtuans nimium aër. (b)

§. XII.

Perſpectis ſingulis aëris qualitatibus ſimplicibus occurrunt adhuc cum ejus qualitates mixtæ, tum repentinæ ejus mutationes: e. gr. e calida in frigidam & humida in ſiccam & vice verſa. De mixtis aëris qualitatibus obſervationes proſtant, quod, ſi diu perſiſtant vel excedant, eo, quo ſimplices lædunt modo, noxam inferant corpori; & aër ſiccus & calidus intenſe febres tertianas irregulares, epidemicas (c), quartanas epidemicas (d), intermittentes epidemicas, anomalas ſimplices & duplices (e), Dyſenterias (f); aër humidus & frigidus ſpasmos (g), variolas epidemicas benignas & malignas (h), catarrhales benignas (i), hæmorrhoides ſuppreſſas decoloratas, fluxum menſtruum ſuppreſſum, (k) congeſtiones (l); aër humidus & calidus easdem congeſtiones (m) producat. De ſubitaneis vero ejusdem mutationibus nemo forſan dubitabit, quin ex iis iidem graves conti-

(a) Junck. Tab. XXXI. p. 270. (b) Bœrhave.

(c) Fr. Hoffm. Syſt. Rat. Med. Tom. IV. P. I. pag. 19

(d) loc. citat. p. 56. (e) loc. cit. pag. 104.

(f) Junck. Cocept. Med. Theor. Pract. Tab. LXXVI. pag. 529.

(g) loc. cit. Tab. XLIV. p. 384. (h) Fr. Hoffm. loc. cit. p. 162.

(i) dito. pag. 126. Æ 135. (k) Junck. Tab. XV. pag. 116.

(l) citatus Auth. Tab. XVIII. pag. 142. (m) Tab. XXVII. p. 233.



morbi & congeſtiones (a) Coryza, gravedo, phlegmatorrhagia (b), diarrhæa, omnes generis febres, intermittentes & continuæ, inflammatoriæ & exanthematicæ, bilioſæ & lentæ, Dyſenteriæ, aliique morbi epidemici oriantur; licet è qualitate ſatis nociva, e. gr. humida vel frigida in meliorem, ſcilicet calidam, eandemque temperate calidam, & ſiccam convertatur, nec certe noceret, niſi ſubitanee mutata eſſet; Quamvis enim qualitatis frigidæ vel humidæ mutatio in calidam & ſiccam valde conveniat, ex prægreſſa tamen qualitate humida vel frigida humores adhuc abundant, qui ſubito accedente aëre calidiore denuo halituoſas cutis excretiones quoque remoratur, unde catarrhi ſimplices, arthritides, Rhevmatismi & humorum corruptiones (c).

§. XIII.

Dictum fuit §. III., effluvia replere aërem mira varietate & miſcela undiquaque, & prodire nunc ex aquis ſtagnantibus & putreſcentibus, vel variis ſordibus, nunc ex Mineralibus, nunc ex plantis hypnoticis, fumo, variisque animalibus; Reſtant ergo eorum qualitates perſpicere, quæ ſunt vere virulentæ, & quas dividere licet in exhalationes putredinoſo-verminoſas, & ſalino-Cauſticas & Narcoticas. Ex claſſe exhalationum putredinoſo-verminoſarum ſunt, quæ prodeunt ex variis ſordibus: e. gr. ſimis, inſepultis cadaveribus, regionibus vel natura vel ex inundatione paludoſis & putreſcentibus, cruore animalium, ſpeluncis profundioribus nebulis,

(a) dito. Tab. XIX. pag. 154. (b) Tab. XXVII. p. 233.
(c) Fr. Hoffm. Syſt. Rat. Med. Tom. I. pag. 526.



bulis; Ad classem exhalationum salino- causticarum & volatilis indolis pertinent, quæ assurgunt ex mineralibus acidis, ex insectis vel animalibus venenatis, locis paludosis, ☿rio, ♁io, 🜍re, calce. Classis vero narcoticarum continet vapores 🜍ris, carbonum ardentium, fumum candelæ sebaceæ extinctæ, plantas narcoticas; quæ virulentæ exhalationes omnes ad interiora corporis penetrantes quam celerrime universi corporis vitales motus pervertunt. De effectu harum exhalationum putredinosarum Sanctorius (a) ita disserit: " Aër cœnosior & ponderosior convertunt invisibilem " transpirationem in ichorem, qui retentus & deinde non " resolutus magna ex parte in cachexiam facessere solet;" solidorum enim energiam infirmant, liquida inspissant, humorum motum retardant & perspirationem (b) prohibent; quapropter ab effluviis hisce putredinoso - verminosis observare licet febres intermittentes epidemicas, endemias, febres malignas contagiosas, dysenterias, febres catarrhales malignas, petechizantes (c), petechiales veras, purpuratas (d) & pestem (e). Ab effluviis vero salino - causticis & volatilis indolis insignis sæpe strages hominum pecorumve, febres ardentes, asthmata (f) cephalalgiæ (g), ophthalmiæ (h), anginæ (i), hæmopthyses (k), phthises (l), ulcuscula nigricantia,

(a) Med. Hatic. Sect. II. aphor. VI. (b) cit. loc. aphor. VIII.
(c) Junck. Consp. Med. Theol. Pract. Tab. LXXI.
(d) Fr. Hoffm. Syst. Rat. Med. Tom. IV. P. I. pagr 207.
(e) Junck. loc. cit. Tab. LXXVII. (f) Junck. Tab. XXXI. p. 270.
(g) loc. cit. Tab. XXI. p. 186. (h) dito. Tab. XXIV. p. 206.
(i) Fr. Hoffm. Syst. Rat. Med. Tom. IV. P. I. pag. 393.
(k) Junck. loc. cit. Tab. VIII. p. 46. (l) ibid. Tab. XXXIII. p. 291.

cantia, pustulæ, aliæque maculæ hinc inde oriuntur. Narcotica vero lædunt, necantque principio vaporoso Ai, quod partim secretionem fluidi nervei, partim verò motum fluidi nervei imminuit aut plane cohibet, ex qua, somnus profundus & mentis alienatio oriantur, necesse est.

§. XIV.

Sed cum ab initio promissum fuerit, indicare quid sibi velit τὸ θεῖον Hippocratis, quid veteribus fuerit, & utrum adhuc nostris temporibus exsistat, & quid nostris temporibus τὸ θεῖον Hippocratis sit & significet, accingimus nos jam ad promissa solvenda. Collocarunt nempe quidam hoc divinum Hippocratis in aëris constitutione quacunque, modo illa ad morbos excitandos apta sit; alii latentius quid esse cognituque difficilius, in aëre & alimentis hærens, toti substantiæ nostræ adversum suspicati sunt; fuerunt, qui illud in aere quidem ponerent, verum à cœlo vel sideribus oriri & morbis epidemicis pro gignendis aptum esse arbitrarentur; alii illa, quæ adeo obstrusa sunt in morbis & causis eorum, ut neque sensuum neque rationis ope intelligi possint, τὸ θεῖον nominarunt; quibus proxime accedunt, qui ea, quæ extra ordinem in morbis eveniunt, huc retulere; fuere denique, qui divinum Hippocratis a Deo ipso derivarunt (a), alii, qui morbos a Magis inductos hic admiscere (b), tandem etiam, qui omnia huc retulere (c).

 § XV.

(a) Gesner in Differt. de Divino Hippocratis habita. A. 1739. Göttingæ.

(b) Gesner loc. cit. & El. Camerar. in Differt. ejus quod abditum est in morbis.

(c) Storch in Procemio de Requisit. Medici Colleg. Pract. Dn. Dr. Stahlii pag. 20.



§. XV.

Hoc ſi rite perpendimus, non poſſumus non, quin & noſtris temporibus quasdam hujus divini ſpecies admittamus, & adhuc interdum in morbis omnis generis, maxime autem in epidemicis & malignis exiſtere confiteamur, teſte Dno D. Hoffmanno (a), qui inquit: " non negandum, cœleſtem " quandam vim nonnunquam intercedere in curationibus, ut " quicquid etiam, quanquam exacte, moliatur Medicus, feli- " ci tamen careat ſucceſſu. " Et D. D. Krauſe Profeſſor Jenenſis in Programmate de turba Medicorum dicit: "Nec Me- " dici Practici digitum Dei ſive τὸ θεῖον in morborum cura- " tione negare poſſunt, cum illud apud ægros interdum ſa- " tis manifeſte, ſæpeque cum ſtupore deprehendatur, prout " facile demonſtrari poſſet, ſi tempus id pateretur, „ cum quo conſentit D. Behrens in Select. Medicis p. 7. qui ad illas octo rationes, ob quas morbi non ſemper feliciter curari poſſint, refert indolem morborum, qui ob occultas & ſoli Deo cognitas cauſas incurabiles ſunt.

§. XVI.

Nos autem in hac (§. XIV.) allegata ſententiarum diverſitate nec decidentes, nec diverſas tamen has ſententias plane negantes præterimus reliquas ſententias, ſiquidem in Hippocratis Libris loca inveniuntur, ubi hoc divinum in plane aliis cauſis, quam in aëre, ponit, & tantum primæ inhæremus, aſſerimusque, hocce τὸ θεῖον Hippocratis pariter aëri ineſſe, dum Hippocrates ipſe hoc divinum ad aërem retulit in

(a) in fundament. Med. pag. 194

in Libro de Morbo ſacro, cui conſentit Galenus (a), qui, divinum hoc Hippocratis eſſe aeris nos ambientis conſtitutionem, confirmat, interim hanc ipſam aeris conſtitutionem non definivit, ſed, ſi conjecturæ locus eſt, unamquamque aëris καταστασιν huc retulit, modo ad morbos generandos aliquid conferat, nec inepte concludit, cum ab Hippocrate ipſo (b) aer maximus, quæ corpori accidunt affectiones, dominus dicatur, quin ſol, frigus, venti expreſſis verbis divina vocentur (c) §. XII. demonſtratum fuit, quanta ſit mutationibus aeris repentinis efficacia in producendis variis, iisque gravibus morbis, & toti libri Epidemiorum pleni ſunt locis, ex quibus apparet, Hippocratem omnino ad aeris, tempeſtatum & anni temporum mutationes attendiſſe, & Aphorismorum Sect. III. pene tota in eo verſatur, ut ea, quæ in corpore humano temporum & tempeſtatum varietate efficiuntur, diligenti obſervatione collecta & ad certas leges redacta proponantur. Joh. Fernelius (d) voce τὸ θεῖον totius ſubſtantiæ morbos, & illos quidem vel ſolos vel aliis morbis implicitos complexum eſſe putat; totius vero ſubſtantiæ morbos vel ſimplici corruptione vel putredine conſtare arbitratur, quæ ipſe ſæpe ex manifeſta, ſæpe etiam ex occulta cauſa originem habeant, & inter has occultas cauſas refert etiam aeris conſtitutionem, non generalem illam, quæ à Galeno indicatur, ſed morbidam aliquam excretionem in aere hærentem, toti noſtræ ſubſtantiæ infen-

(a) in Comment. ad Hippocratis pronotiones.
(b) Libr. de flatibus. IV. 9.
(c) Libr. de morbo ſacro XVIII. 20.
(d) in Libr. de abdit. rer. cauſ. Francof. 1575. ſeqq.



infensam, quæ nulla cogitatione, nullo sensu cognosci possit, cui consentit Hippocrates (a), qui νόσηρὴν ἀπόκρισιν in aere hærere & morborum epidemicorum caussam esse affirmat. Sic & Hieronymus Mercurialis (b), illud quod divinum vocat Hippocrates in aere quidem esse, cum Galeno arbitratur, sed à cœlo oriri credit, quod in aerem ipsum qualitates benignas aut noxias imprimere existimat, eadem plane ratione ac cæteris corporibus terrenis reconditas qualitates largiatur; hanc igitur constitutionem & qualitatem aeris occultam ab Hippocrate divini nomine appellatum putat. Tandem & Prosper Martianus (c) per divinum in morbis aliquid ex aeris constitutione aut à cœlo ipso pendens ab Hippocrate indicari credit, a quo deinde morbi epidemii & in illis monstrosissimi effectus, ordinarias morborum leges deserentes, subnascantur.

§. XVII.

Dignoscitur autem hoc divinum in epidemicis morbis eo, quod α) morbi epidemici, qua tales, ex communi causa multos ex populo adoriantur; β) nec tamen, etiamsi hæc communis causa in aeris miasmatibus variis venenosis putridis consistat, omnes, quos morbus dein tractu temporis invadit, unò eodemque tempore simul corripiat, γ) quod in iisdem epidemicis non semper adsit malignitas; sic enim videmus interdum epidemice, sed valde benigne, grassari variolas, morbillos.

§. XVIII.

(a) Libr. de Natura humana. XIX. 3.

(b) in perælect. de Pestilent. habit. Batav. A, 1577.

(c) in Comment. ad Prænot. pag, 479.

§. XVIII.

In morbis vero malignis apparet τὸ θεῖον, quod tanta miasmatibus aeri inhærentibus ſit efficacia, actiones vitales absque cauſa manifeſta ſubito deſtruendi, mentem turbandi, vires proſternendi, & totam maſſam ſanguineam in motu ac craſi alterandi, & homines plerumque cito enecandi. Obſervatur enim, quod ab initio tam inſidioſe corpus irrepat, ut per plures dies (a), ſeptimanas, vel plane duos tresve menſes interdum latitet (b), interdum vero ſubito invadat, teſt. El. Camer. (c) in verbis: Wie ſchnell konte dieſes Contagium gefaßt und auf diejenige transferirt werden, die gleichſam nur den Kopff in die von Krancken angefůllte Zimmer hinein geſteckt. Wie gienge das Ubel ſo ſchnell von einem zu dem andern in einem Hauſe oder in groſſen Communionen, da alles gleichſam Schaar-weiß zugleich befallen wurde, und 30. und mehr ůbereinander lagen, und nicht wußten wie Ihnen geſchahe. IIdo, quod tam graviter decumbant ægri, ut in incremento morbi vehementia ſymptomatum gradum febrium reliquarum, e. gr. ſi ex ſpecie Catarrhalium ſit, gradum catarrhalium benignarum, longe ſuperet (d). IIItio, quod pleræque circumſtantiæ ſeu ſymptomata ſingulare & inſoliti quid alant, uti hoc obſervatum fuit in febre catarrhali epidemica (e) ab Elia Camer. in

(a) Riedl. Cur. Med. pag. 262.

(b) Riedlin. Cur. Med. A. 1697. pag. 454.

(c) kurtze Anweiſung von anſteckenden Kranckheiten, pag. 11.

(d) Fr. Hoffm. Syſtem. Rat. Med. Tom. IV. P. I. pag. 127.

(e) Kurtze Anweiſung von anſteckenden Kranckheiten.



verbis: aber dieses ist in dieser Specie solcher Kranckheit etwas verborgenes, besonders, τὸ θεῖον, ein sonderlicher übeler Caracter, der eben wegen solcher schlimmen Art billich eine Malignitæt heisset"; & IVto, duratio ipsa adeo diversa sit, ut in aliis tribus, in aliis septem, in aliis vero pluribus & triginta demum diebus (a) absolvatur. Vto, quod solutio in eadem malignarum febrium specie diversissima sit, & modo per Crisin perfectam modo imperfectam vel per Crisin morbo alias plane inconvenientem fiat, nec idem morbus in omnibus unam eandemque Criseos speciem servet, sed mox per expectorationem, mox sudorem, modo □am, l. aqueam (b) vel coctam, modo diarrhöas solas, modo crebras alvi dejectiones & petechias (c) aliaque exanthemata fiat, & ea excretionis species, quæ in quibusdam Critice morbum solvit, in aliis symptomatice quasi noceat, teste El. Camer. (d) in verbis: "Dahin auch die Diarrhæe zu referiren, die bey einigen " die Kranckheit critice solvirt, bey andern symptomatice sehr " vermehrt und beschwerlicher durch ungemeine Abmattung ge- " macht." Et Scheuchzero (e), qui pag. 5. inquit: "bey an- " dern Blutflüsse, welche auch ein Vorbott des Todtes gewe- " sen, & pag. 11. Wann hier oder da in der Nasen, Mutter, " Därmen, güldenen Adern die Schärffe begleitet mit gewalt- thätigen

(a) Riedlin. Lin. Med. A. 1698. pag. 24.

(b) Riedl. Cur. Med. p. 627.

(c) loc. cit. p. 580.

(d) kurtze Anmerckung von ansteckenden Kranckheiten.

(e) Λοιμογραφια Massiliensis.

" thätiger Bewegung, Entzündung, durch Brüche, so entste-
" hen Blutflüsse, welche, wo sie starck gewesen, den Patienten
" in den Tod gestürtzet, da hergegen eine mäßige Ausläehrung,
" sonderlich bey Blutreichen Leuthen, zur Gesundheit beförder-
" lich gewesen;" Tandem vero VIto, quoad declinationem, ſymptomata conſequentia ſatis diu perſiſtant, & lentiſſime diſcedant (a), aut in declinatione demum perimant (b), quorum phœnomenorum omnium cauſa ſatis difficilis eſt explicatu.

§. XIX.

Sentio autem in phœnomenorum epidemicorum cauſa ſic: Primi nempe phœnomeni cauſa eſt communis, & nil aliud eſt, quam aër variis nocivis qualitatibus & pravis exhalationibus refertus, quæ exhalationes, ſi quosdam ſimul invaſerunt, atque in eorum corporibus ſeſe multiplicarunt, & per varias excretionum ſpecies critice ejectæ & aëri denuo demandatæ fuerint, ſenſim ſenſimque plures corripiunt, atque hac ratione, quoad phœnomeni ſecundi cauſam, endemia fit, conſentiente El. Camer. (c) dicente: " Wann solche Kranck-
" heiten eine Zeitlang graſſiren, ungemein viele von einander
" angesteckt werden, mithin die Lufft mit solchen verdorbenen
" Ausdünstungen in engen Wohnungen, Gassen und Oertern
" sehr angefüllt wird, da wüßte ich eine solche Lufft an einem
" solchen Ort nicht anderst, als angesteckt und inficirt zu nen-

(a) Riedl. Cur. Med. pag. 684.
(b) loc. cit. pag. 559.
(c) kurtze Beschreibung von ansteckenden Kranckheiten. p. 27. & 28.



" nen, als die in der That voller Miasmatum und schädlicher " Dünste stecket, die in andere Leiber nicht ohne Gefahr über= " gehen." Tertii autem phœnomeni causa dependet vel à mole vel ab activitate miasmatis in corpus delati.

§. XX.

De causis vero Malignitatis hæc subest ratio; quod hoc miasma sit utplurimum putridum, quod per motum sanguinis progressivum & intestinum, quoad partes in se continentes, & putredinem constituentes, augetur, (adeoque vis multiplicativa abs authoribus credita omnino pro vera est habenda) quo adaucto, & per totam massam Sanguineam distributo non potest non systema nervosum insignem pati detrimentum, sic ut vires præter morem debilitarentur, unde insignis lassitudo, deliquia & tandem mors insequuntur.

§. XXI.

Ex his igitur, etsi non omnia, tamen plurima Malignorum morborum Phœnomena resolvi posse, firmiter persuasus sum. Siquidem, quod Phœnomenum primum, insidias nempe, attinet, & quod diu tam interdum lateat, certum est, quod miasma putredinosum in hoc casu adhuc valde langueat, & tantum temporis ad sui multiplicationem requirat; si vero subito invadat, causa est, quod miasma putredinosum sive in satis magna mole sive satis activæ indolis corpus irrepserit, quod dein sine longa temporis mora nervos humoresque læ-

dendo

dendo par ſit, & quoad Secundum Phœnomenum, vehementiam ſymptomatum nempe, cauſa eſt, quod ejusdem indoles putredinoſa, continuante adhuc motu circulatorio & inteſtino, aucta ſit, eoque ipſo autem ex adaucto miasmate putredinoſo graviſſima ſymptomata oriantur, & pro activitate miasmatis majori minorive citius tardiusve aut ad ſalutem aut mortem determinetur, neceſſe eſt; quoad tertium phœnomenum inſolita ſcilicet illa ſymptomata, ratio eſt, quod miasma illud aut magna mole, aut inſigni activitate, aut plane, id quod probaliſſimum eſt, adhuc quoad qualitatem incognitum corpus penetraverit; quoad quartum Phœnomenum, durationem nempe, Cauſa, præter corporis conſtitutionem, conſiſtit maxime in activitate & Aitate, ſubtilitate Miasmatis, ex qua cauſa citius tardiusve corrigi, inverti, eliminari, aut figi poteſt, aut, ſi male excedat, imminui poteſt; præprimis peccat hæc Aitas & ſubtilitas miasmatis in phœnomeno quinto, quod plerumque tantæ ſit ſubtilitatis, ut cum humoribus non ſufficienter poſſit ſubigi, atteri, & ad vaſa excretoria deferri, aut, ſi defertur, usque ad tempus excretionis detineri poſſit, ſed ſemper rurſus per vaſa revehentia & maſſæ humorum admiſceatur, unde Criſis protrahitur; ſi vero paulo craſſioris ſit conſiſtentiæ, ſic, ut intra vaſa ad tempus excretionis aſſervari, & dein, ſaltem quoad maximam partem, ſimul excerni poſſit, adeoque larga evacuatio fiat, oritur Criſis perfecta. Quoad ſextum denique phœnomenum, declinationem nempe, notum eſt, in aliis morbis benignis vel inflammatoriis vel ex-

 

anthematicis causam morbi per Crisin non semper semel ac simul excerni, sed quasdam interdum excretiones requiri ad plenariam causæ morbificæ excretionem; Hoc ergo si fiat in morbis alias sic dictis benignis, non est, quod dubitemus de malignis, cui accedit, quod hæc putredo, quæ malignitatem constituit, non solum nervis quam maxime sit infensa, eo, quod vigente motu adhuc tonico fluidum nerveum dissipetur, sed & ob ipsam putredinem nervis non purum & temperatum, sed impurum & intemperatum fluidum advehatur.

§. XXII.

Perlustratis nunc plurimis Malignorum causis, probatoque Divino Hippocratis in aere, quod præcipue in ejus miasmatibus putredinosis consistit, indoles horum miasmatum adhuc perscrutanda est, quam vero maxime à posteriori, scilicet ab effectu, expiscari licet. Exactior enim docuit experientia, quod in febribus ad indolem pestis accedentibus, alcalium contraria, acida nempe, insigne afferant auxilium, econtra, TRæ alcalinæ & diaphoretica calida massam humorum exagitantia, maximum inferant damnum; rite igitur conjicitur, pleraque miasmata esse plus alcalinæ, quam acidæ, indolis, utpote quæ sola massæ humorum nimis resolvendæ quam maxime sunt idonea, quapropter & miasma pestiferum aliaque morbos malignos epidemicos inducentia cum Frid. Hoffmanno (a) haud immerito pro causa harum febrium epidemicarum

(a) Fr. Hoffm. Syst. Rat. Med. Tom. IV, P. I. p. 288.

micarum malignarum & in iis Refolutionum humorum alcali agnofcunt.

§. XXIII.

Dixi, pleraque, fed non omnia, miasmata effe alçalinæ indolis; morborum enim malignorum epidemicorum fymptomata interdum adeo differunt, ut neque ad indolem alcalinam neque acidam plane referri poffint, teft. Hoffmanno (a) in verbis: "Qui diu in artis exercitio verfati funt, iis non " obfcurum effe poteft, quo habitu & more fubinde diver- " fiffimo quotannis fere incedunt epidemici morbi & modo " has, modo illas partes hoftiliter aggrediantur & diverfis ac " fæpe diffidentibus fymptomatibus infeftent. Veteres eo- " rum caufam ad τὸ θεῖον referebant. Nos materiis tenuiori- " bus, virulentis & variæ indolis in aere potiffimum volitan- " tibus eos adfcribimus, & eorum diverfam naturam à di- " verfa harum materiarum indole deducimus. Eft enim aer " univerfale quafi menftruum, quod expanfiva fua elaftica vi " & materia ætherea calida ex omnibus corporibus fubtilio- " res partes folvit, abripit & imbibit, quæ diverfiffimæ na- " turæ exhalationes per mutuum conflictum, combinationem " & mifcelam, intercurrente folari & cœlefti copiofa mate- " ria varias formas ac texturas induunt", & in fine addit: " Quidni igitur pro diverfitate effluviorum, quo certis in " diftrictibus è terra exhalant, & pro anni tempore variant " pro diverfa folis operatione & ventorum flatu, varia in aere

" feminia

(a) Fr. Hoffm. Syft. Rat. Med. Tom. II. p. 227.



" ſeminia ſalina, ♀rea, fabricari poſſunt, quæ in corporis ca-
" vitates admiſſa differentes epidemicas vel etiam endemias
" afflictiones inferunt, quorum tamen indolem ac vires po-
" tius à poſteriori & effectu, quam à priori per ſenſus & ra-
" tionem cognoſcimus." Ex quibus, cum variorum horum ſeminiorum ſalinorum ♀reorum indolem & naturam non expreſſe indicet & determinet, clare apparet, omnem miasmatum naturam & indolem nondum cognitione exhauſtam eſſe, ſed in ipſa miasmatum occulta qualitate τὸ θεῖον conſiſtere, adeoque adhuc eo, quo veteres intelligebant, ſenſu admittendum eſſe, & revera adhuc interdum exiſtere.

TANTUM.

